

MODUS ADMINISTRANDI SACRAM EUCCHARISTIAM.

Sacerdos (*dicto Confiteor, à Ministro*) in *cornu Evangelii* dicit : Misereatur vestri omnipotens Deus & dimissis peccatis vestris perducatur vos in vitam æternam. *Re. Amen.*

Indulgentiam, absolutionem, † & remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens & misericors Dominus. *Re. Amen.*

Tunc accepto Sacramento versus populum dicit : Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi. Deinde ter : Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea Et faciens signum Crucis ori Communicantis imponit, dicens : Corpus D. N. J. C. † custodiat animam tuam in vitam æternam. Amen.

MODUS SEPELIENDI MORTUUM ADULTUM.

Sacerdos *indutus stolâ nigrâ super superpellicium præferentibus Ministris Crucem, Aquam benedictam, thuribulum, lampades si adsint, ad funus in ædibus dicat :*

Antiph. Si iniquitates. Psal. De profundis.

Antiph. Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit.

Dum portatur funus, possunt cani Responsoria consueta in via, sed post adventum ad Ecclesiam vel Cæmeterium Sacerdos dicit Psal. Misere. Psal. De profundis.

O r e m u s.

Absolve, quæsumus Domine, animam famuli tui N. (ancillæ tuæ N.) ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter Sanctos & Electos suos resuscitatus (ta) respiret. Per Christum Dñum nostrum. Amen.

Quod si sepulchrum non sit benedictum, Sacerdos illud benedicens, dicat:

O r e m u s.

Deus, cujus miseratione animæ fidelium requiescunt: hunc tumulum benedicere † dignare; eique Angelum tuum sanctum deputa Custodem; & quorum corpora hic sepeliuntur, animas eorum ab omnibus absolve vinculis delictorum, ut in te semper cum Sanctis tuis finè fine lætentur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Quæ Oratio omittitur, si illud sit benedictum, & interea, dum tumba in terram dimittitur, altâ voce dicat:

O r e m u s.

Non intres in iudicium cum famulo tuo (famulâ tuâ) Domine, quia nullus apud te justificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum ei tribuatur remissio. Non ergo eum (eam) quæsumus tua judicialis sententia premar, quem (quam) tibi vera supplicatio fidei Christianæ commendat, sed gratia tua illi succurrente mereatur evadere iudicium ultionis, qui (quæ) dum viveret, insignitus (ta) est signaculo Ss, Trinitatis. Qui vivis &c. Amen.

Dum

Dum tumba est in terra, aspergat tertio, dicens:
 Rore cœlesti reficiat animam tuam Deus. In
 nomine Patris † & Filii † & Spiritûs † sancti.
 Amen.

*Et tertio immittat pala aliquid terræ, super
 illum dicens:*

De terra plasmasti eum (eam), pelle & car-
 nibus vestisti eum (eam) resuscita eum (eam)
 in novissimo die. *Tum statim cooperitur sepul-
 chrum.*

Deinde Sacerdos dicit:

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie elei-
 son. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℞. Sed libera nos à malo.

℣. Anima ejus in bonis demorabitur.

℞. Et semen ejus hæreditabit terram.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℞. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℞. Et cum spiritu tuo.

O r e m u s.

Fac quæsumus Domine, cum servo tuo de-
 functo, (servâ tuâ defunctâ) misericordi-
 am, & factorum suorum in pœnis non recipiat
 vicem, qui (quæ) tuam in votis tenuit volun-
 tatem, ut sicut hic eum (eam) vera fides junxit
 fidelium turmis, ita illic eum (eam) tua mise-
 ratio societ angelicis choris. Per Christum do-
 minum nostrum, Amen.